

Q. F. F. Q. S.  
De

Affectionibus Enunciationum  
**DIATRIBA DIA-  
LECTICA.**

QUAM

Jehova juvante

*Ex suffragijs amplissimi senatus Philosophici in  
Regia Fennorum ad Aoram universitate.*

MODERATORE

*VIRO Reverendo & Preclarissimo*

**M. PETRO A. BERGIO**

in præfata Academia Graicæ & Ebrææ Ling. Professo-  
re ordinario Celeberrimo, Præceptore ac Mecænate quo-  
vis honoris cultu ætatem devenerando.

*Ingenij exercendi gratiâ candidè Philosophan-  
tium censuræ modestè submittit*

**E LA U S M. S C H R O D E R U S** Wermi-  
Ser. Reg. Maj.<sup>is</sup> beneficiarius.

*Addicm Septembris Anno 1656 loco horisq consuetis.*

A B O È

---

Imprimebat PETRUS HANSONIUS Acad: Typ.

Reverendis & Praeclarissimis Viris  
Veneranii Consistorij Ecclesiastici Carlstadiensis Affessoribus gravissimis.  
Dn. M. ISRAELI KANUTIO Philipstadien-  
sium Pastori & Præposito vigilantissimo.  
Dn. M. MAGNO S. Mariestadiensi, Ecclesie Dei  
quæ in Frykzalen colligitur Pastori nec non circumjacen-  
trum parciarum Præposito attentissimo.  
Dn. M. GUDMUNDO E. NORENIO Pasto-  
ri & curato in Gillberga Pervigili.  
Dn. M. NICOLAO M. HUNGVIDIO gregis  
Dei in Starkie Pastori, ut & Valhærensum Præposito meri is:  
Dn. M. ANDREÆ B. KILANDRO Scholæ  
Carlstadiensis Rectori juxta ac Pastori in Hammarö solertissimo.  
Dn. M. JOHANNI P. FORSAEO inibi Con-  
rectori dexterrimo.

ILLINOR ita pridem Nutritio liberalissimo HIS quondam Preceptoris  
ribus fidelissimis, singulis Fautoribus etiamnum indubitatissimis.  
Beatitudinem cum temporali æternam & in rebus gerendis suc-  
cessum!

Cœtus fulchra Dei, Pindi Phœbiq; columnæ  
Praeclaræ quondam genijq; animiq; parentes  
Discursum niveis sophies quem mitto rosetis  
Collectum (quæso) vultu prensate sereno.  
Ex animo dantis munuscula missa foveat  
Fautores: veteris quia semper gratia facti  
Stabit apud memorem, nobis monitore Marone  
Hoc vos dum facitis Dominum precor omnipotentem,  
Cedere sic jubeat vobis bene cuncta Valete.

Reverent, & clarit:tes V. officiosè colens  
Elaus M. Scroderus.  
Auth: & Relp.

Usq; fave Rectorq; mei Deus optime cursus  
Sis, portum ut videat fessa carina cito!

## SECTIO I. DOGMATICA

D E

### Affectionibus simplicibus Axioma- tum in Genere

#### P R A E C E P T A

- a. *Affectio est attributum accidentale quod duobus axiomatis-  
bus inter se collatis competit.*
- b. *Estq; duplex: Consentanea vel Dissentanea.*
- c. *Consentanea est cuius ratione axiomata inter se comparata,  
consentient, ut: Equipollentia conversio & consecutio.*
- d. *Dissentanea est, eius ratione axiomata inter se collata,  
pugnant, ut Oppositiō.*

#### E X P L I C A T I O N E S AD a P R A E C E P T U M

**D**efinitum Affectio est, hujus spe-  
ctanda Homonymia. Sumitur Affectio  
1. Strictè, pro Adjuncto, proprio, 2. Latè  
pro Accidente communī, quomodo jam  
sumitur quatenus nostri instituti rationi  
intervit. Definitio ipsa conceptibus duobus constat,  
convenientiæ uno, & Disconvenientiæ altero, illius le<sup>co</sup>  
ponitur, A tributum accidentale: accidentalia quippe a-  
xiomatibus, esse reputantur, quæcunq; illis præter es-  
timam forinsecus adveniunt hoc autem faciunt haæ affe-  
ctiones, Ergo. Hujus vicem reliquus verborum paragra-  
phus representat, discriminando hæc affectiones à

conjunctionis, scilicet affirmatione & negatione, veritate & falsitate, necessitate & contingentia, quæ conjunctionem sumptus, axioma dividunt. Hæ vero simplices, ad duo axiomata inter se collata respectum involvunt, illisq; sine opposita affectione, solitariè attribuuntur.

## AD PRÆCEPTA § γ δ

Fundamentum Divisionis hujus est; Consensus & Dissensus, quem talis collatio unius axiomatis cum altero respicit, talia n. axiomata inter se comparata, vel idem significant, & sic oritur æquipollentia: vel transponuntur termini, seu subjectum & Prædicatum & novum nascitur axioma diciturq; conversio: Aut unum ex alio nomine medio deducitur, & sic fit consecutio: Aut inter se opponuntur axiomata, undè existit Oppositio.

## QUESTIONES.

1. *An affectiones axiomatis Disjunctæ, rectè primitantur Distributioni ejusdem in species, & an Simplices bene postponantur?*

Affirm: utrumq; De illa enim ante species axiomatis, jure præcipi indè patet; Quod convenienter axiomatis speciebus non specialiter, sed communiter ita ut ad æquatum istarum affectionum subjectum, non sit axioma simplex tantum, vel axioma compositum solum Sed axioma in genere, quod etiam prius seu subjectum definiri debet. De his v. quin postponendæ sint, minus dubij esse potest: cum essentiam axiomatum præsupponant, & ex diversa eorum inter se collatione orientur.

2. *An hæ affectiones rectè vocantur simplices?*

Affirm: Appellantur enim affectiones axiomatum compositæ, quæ non solitariè & ad ipsas cum illis recurunt

currunt, totamq; latitudinem exhaustiunt, verum semper cum alia opposita, axiomata dividunt, ad hunc modum axiomati, affirmatio & negatio, veritas & falsitas &c. attribuuntur, simplices contrà dicuntur quæ non cum alia, sed simpliciter & solitariè, duobus competunt axiomatis.

## SECTIO SECUNDA

### De Äquipollentia.

P R A E C E P T U M.

Äquipollentia est affectio, axiomatum verbis disceptantium, & in sensu convenientium. vel ita Äquipollentia est axiomatum verbis discrepantium, in sensu convenientia. ut: Non O. homo est doct<sup>r</sup>, Q. homo non est doctus.

### EXPLICATIO

Definiti Synonyma, apud authores reperiuntur hæc *ἰσοδυναμία* & in pl. *ἰσοδυναμύαι*, Äquivalentia &c. Definitio ipsa in Genus & Differentiam resolutibilis est, Genus legitimum, affectionem esse patet Differentiam largiuntur cætera vocabula, quæ quoniam essentialia ad Äquipollentiam requisita, implicant, curatiū pensiculanda veniunt. Vox itaq; axiomatum, (1.) Eorundem Dualitatem ad minimum requirit prout etiam id ipsum Äquipollentia nomen importat, quippe quod respectum ad aliud, cui Äquipollere debet, involvit. (2.) Dictiones, verbis discrepantium: diversitatem verborum ex-gunt, cum alijs prorsus eadem essent, si sz. nihil discriminis interesset. (3) ultima verborum tria, significacionis identitatem infert, cuius potissimum intuitu, Äquipollentium nomen sortiuntur. Propositiones κατὰ τὸν ἀντίον, consentientes; cum Significatio & sensus Propositionum, earum virtus sit. Prò meliori Definitionis exegesi, notandum est: Äquipollentiam solere con-

fici & estimari 1. ex Synonymia Grammaticâ, ut Ensis  
est ferrum in longum productū, Gladius est ferrum in lon-  
gū productum. 2. Ex singuarum distinctarum comutatio-  
ne, ut  $\tau\alpha\pi\epsilon\mu\alpha$  ἐσιν ο Θός & Deus est Spiritus. 3. Ex  
mutatione signorum eandem quantitatem denotantium  
veluti: Non omnes homines sunt electi & Q. homines  
non sunt electi. Circa signa Aequipollentia sciendum,  
æquivalere, τὸ non omnis & Quidam non: Non nullus & quidā  
Nullus non & omnis Non aliquis & Nullus: Non quidam non, &  
omnis ut non omnes homines sunt electi & Q. homines non  
sunt electi. Nonnulli studiosi sunt divites & Q. studiosi sunt  
divites O. virt⁹ honoratur & N. virtus non honoratur: Non  
aliquis est in domo, & N. est in domo. In sancta lingua es-  
tiam æquipollent; O. non & non omnis, τῷ nulli ut: O, ca-  
ro, non justificabitur in conspectu tuo. Domine, item ex  
idiotismo hebraico correspondent: unus non & nullus sic  
uuum ex ossibus ejus non conteretur. i. e. nullum. 4 Est &  
Æquipollentia ex alijs Syncategorematisbus, veluti quia is-  
dem sunt duæ negationes & una affirmatio. Ideo hæ  
Æquipollentes sunt: Homo est risibilis, & Homo non  
est non risibilis quod semper in Romanâ linguâ validum  
si nimirum utraq; negatio ad copulam referatur. In Gra-  
cia vero ling. idiotismus aliud svadet, sic Joh. 15. 5: Χωρὶς  
ἵματί & δύναθε ποιεῖται εδέρ: ubi duæ negationes fortius  
negant. Ex hac tenus dictis satis superq; claret, axioma-  
tum æquipollentium aliâ sensu, simplicitè convenire,  
ut hæc: justificamur per gratiâ Dei, & justificamur per gra-  
tuitum Dei favorem alia præterea ijsdem planè constare  
terminis, diversa tantu ratione signorū vel negatione, ut:  
non O. studiosi sunt eloquentes. & Q. studiosi non sunt  
eloq; De his a. signatis Propositionibus hoc tenendum  
quod illæ sive oppositæ sive subalternæ fuerint, mediante  
negat-

negatione reconcilientur, ita: Partic. Negativa. præposita subjecto facit duo axiomata antea contradictionia in dem valere ut: O. homo est doctus & Q. homo non est doctus sunt contradictionia. Quorum sive posteriori sive priori præfixeris tamen non æquipollebunt. Sic pars sunt: Non Q. homo non est doctus & O. homo est doctus item: non O. homo est doctus & Q. homo non est doctus. Deinde Negatio pares efficit duas proposita. Contrarias, si illa negativæ subjecto postponatur, ita contrariarum harum O. homo est doctus, & N. homo est doctus, postpone posterioris subjecto tamen non h. m. N. homo non est doctus & æquivalebit suæ contrariæ priori. O. homo est doctus si deniq; Negatio subalternarum propositionum particulari inseratur bis, immediatè ante signum semel, & immediatè ante copulam semel, easdem æquipollere jubebit, v. c. O. homo est doctus, Q. homo est doctus sunt subalternæ præpone igitur harum posteriorum particularis est, part negat. semel ante signum & semel ante copulam: ut monobatur, & habebis priori universalis æquivalentem; h. m. Non Q. homo non est doctus.

## Q U Ä S T I O

*An idem sensus diversis verbis exprimi possit?*

¶ Afferi hoc intrepidè, i. Cum verba valeant ut numeri & sint σηματά non τῇ φύσει, sed τῇ Σετε, non naturā sed ex instituto hominum. (2) Quia retentā verborum diversitate, duæ Propositiones eandem contradictionem admittunt, v. c. His: non O. homines sunt electi, & Q. homines non sunt electi, contradicitur per istam: O. homines sunt electi. (3) manere nihilosecius potest & stare cum verborum discrepantia, idem re subjectum & Prædicatum, eademq; vis illa uniendi. (4) Si nuda verborum diversitas, sensus diversitatem gigneret

contingetur id vel maximè in propositionibus quarum altera est tropica, altera propria ast hoc non fit. E. g. Herodes est vulpes; Herodes est astutus item: Homo est bulla homo est eaducus, quorum exemplorum, ambæcunctationes, sensum eundem habent. E

## SECTIO TERTIA De Conversione

### P RÆCEPTA

A. Conversio est mutua terminorum in axiomate transpositio, salvâ utriusq. veritate. Ut O. homo est animal & Q. animal est homo. N. lapis est leo. & N. leo est lapis.

B. Ejus species sunt tres: Conversio simplex, Per accidens, & per contrapositionem.

C. Conversio simplex est conversio, quâ manente qualitate, & quantitate eadem universale negatum, & Particulare affirmatum convertuntur simpliciter ut N. homo est Asinus & N. Asinus est homo. Q. canis est niger & Q. nigrum est. canis.

D. Conv. per accidens, est quâ convertitur univers affirm. mutata quantitate, ut: C. Prodigus est injustus. Q. injustus est prodigus.

E. Conversio contrapositiva mutat terminos Propositionis finitos in infinitos & contra, sic: O homo est animal. Et O, non animal est non homo seu quod idem est Q. non est animal, non est homo, & vicissim Quod non est animal non est homo O homo est animal.

### EXPLICATIONES AD P RÆCEPT:

A. Circa Definitum notandum istud demissis significacionibus alijs hic loci sumi pro extremorum in axiomate translocatione quæ cum bona & formali conversi ad

con-

convertendum consequentiā fit. Et sic vicissim modō  
strictius usurpari pro conversione simplici & per Acci-  
dens tantū modō latius, ut jam sit quomodo convers.  
per contrapositionem etiam includit.

Definitio conceptus communis ioco Affectionem  
supponit quod de ratione Affectionis, conversionem  
secus quam reliquæ species participet. Differentia  
largiuntur reliqua omnia (1.) itaq; mutua terminorum  
transpositio exigitur h. e. totius subjecti & prædicati cum  
suis partibus sive revera tales fuerint, sive *κατ' αναλογίαν* ita dicantur, ut Syncategoremata & descriptiones,  
in quorum transpositione conversio præcisè terminatur  
præcisè inquam præscindendo à signo quantitatis aut  
modo. (2) ut fiat salvâ utriusq; veritate, h. e. verum  
conversum ex vero convertendo quotiescumq; igitur ex  
vero convertendo sequitur falsum conversum sciendum  
in falso illo leges veræ conversionis non servatas esse.  
NOTA certiorem adhuc & faciliorem conversionem  
promittunt seqq: duo principia directiva quorum  
primum: *Casus obliqui inter convertendum rectificentur.*  
Ratio est quia casus obliqui absq; respectu ad aliquid  
verbale, per se non possunt gignere verum & completū con-  
ceptum, qui parte in propositionis convertibile constituet  
E. g. me miseret tui antequam convertatur sic rectifican-  
da. Ego sum is quem tui miseret jam demum ita con-  
vertatur Quem tui miseret sum ego. Secundum: *Tem-  
pus Præteritum & Futurum sensu exigente rectificantur  
per Præsens* ut enim se habent casus obliqui ad rectos,  
ita etiam tempus Præteritum & futurū ad Præsens illi a.re-  
ctificandi sunt E etiā Hæc v. c. Deus creavit mundū & is qui  
creavit mundū est Deus. Hinc vides rectificationē non ita  
accipiendam esse, ac si cetera tempora in Præsens trans-  
mutanda

mutanda sint in utraq; Prop. sed quod enunciatio posterior ita & resolvenda sit ut termini à suâ statione dimoveri queant, hoc a fieri nequit nisi copula in Præterito vel Futuro latens, ad actum evocetur, idq; non nisi sensu exigente, h. e. dum copula principalis implicitè vero est involuta.

#### AD PRÆCEPTUM

B. Virtute suâ in exhaustiendo totius Distributiam, bitu consistente, facta distributio haud destituitur, monstrante id enumeratarum specierū sufficientiâ ut sequitur. Omnis enim vera & formalis conversio aut mutat terminos finitos, in infinitos, aut non. Si illud exsurgit conversio per contrapositionem. Si hoc tum id fit vel quantitatis mutatione vel non si prius tum est conversio simplex sive posterius tunc fit Conversio per accidens. Quorum siogulæ consecutionem convertendæ Propositiones ad conversionem habent & eodem conversionis nomine gaudent.

#### AD PRÆCEPTUM

C. In hac Definitione duo probe attendenda venuunt vñ (1) Differentia ejus à conv. per accidens & per contraposit. (2) Materia propria Differre a. facit convers: simplicem à convers. per accidens particula manente quantitate cum ibi ut de cā agendo constabit, Quantitas mutetur. Ad dictum verò constituendum inter conv. per contrapositionem est Tō simpliciter quia absq; mutatione terminorum finitorum in infinitos simpliciter instituitur. Materia ejus propria est (1) universale negatum. (2.) Partic. affirm. Quibus (3) adjungitur ex sententia nonnullorū univers affirmatur reciprocum utpote, Definitio & Definitum, Subjectum cum adjuncto proprio species cum Differentia specifica, ut homo est

est animal rationale, & animal rationale est homo. Homo est visibilis & visibile est homo. Homo est rationalis & rationale est homo. Contendentibus tamen alijs hasce enunciationes, non tam *vi forme* quam ob *materiae favorem* Conversione simplici converti

*AD PRÆC EPTUM*

D. Hie 3. perpende. (1) Quantum ad ipsum subjectum hujus definitivæ orationis. Per accidens hæc conversio nuncupari videtur, ob conversæ ad convertendam medium sequelam, ita ist hæc conversa: Q. animal est homo, ad suam convertendam: O. homo est animal non sequitur immediatè, sed intercedente ejusdem *Subalterna*: Q. homo est animal, quam demum conversione simplici consequitur. (2) Subjectum *in quo* est axioma affirmatum quod retenta qualitate convertitur quidem in affirmatum, cum tamen termini ejusdem latitudinis non sint, ratione graduum diversitas oboritur. Unde (3) Forma materiae conveniens exprimitur Voce: *mutata Quantitate*.

*AD PRÆC EPTUM*

E. Nomen inde conversio hæc traxisse videtur, quod in illa ponantur, termini *Contrarij* & in specie *contradicitionis*, monstrantibus id exemplis ad Definitionem, relatis, Distinguuntur à cæteris conversionis speciebus per commutationem terminorum, finitorum in infinitos. Solere tamen hunc loquendi modum sub terminis infinitis, Cum hi ec formulis: *Quod non est, id non est*, ceu frequentioribus permutari, Cl. Scheiblerus observavit. NOTA usus hujus conversionis in examinandis Definitionibus & divisionibus quibusvis in æstimabilis est, adeo ut reciprocatio in ijsdem requiri solita protinus se manifestet ad hanc conversionis speciem Si Definitiones & Divisiones exigantur. E, G, bonitas hujus definitionis: Homo

est animal rationale. Exquiritur, Conversione contrapositiva hoc modo. Quod non est animal rationale, illud non est homo. Pari modo virtus hujus Divisionis: animal est rationale, vel irrationalis probatur hoc modo, quod non est rationale vel irrationalis, id non est animal, & sic in ceteris.

## S E C T I O I V.

### De Consecutione

#### P R A E C E P T U M

*Consecutio axiomatica est unius axiomatis ex alio sine medio facta illatio, ut O, Virtus est bona E. Q. bonum est Virtus Solus homo est rationalis E homo est rationalis.*

#### E X P L I C A T I O

Definito quod voce complexum est attendentii apparet, addi particulam axiomatica discrimini gratia aliam n. praeter Syllogisticam dari consecutionem, de qua inter affectiones Propositionum docendum erit, variae evincunt rationes claretq; ex eo imprimis: quod hic omnino de Äquipoll. & Conversione tractatio instituenda sit, at nulla est Äquipoll, & Conversio nisi consecutiva. Adde quod do tria de Consequentia axiomatica, multum ad reliquarū affectionum cognitionem conducat, immo ceterae affectiones sine illā intelligi fere nequeunt, ut nil jam de Arist. mente dicam, quam planè hanc fuisse, Averroes Author est, quod videlicet consecutionem & oppositionem primarias enunciationum affectiones esse Voluerit. Sed ad Definitionem pergam, in qua duo perpendenda (1) Quod hic non sicut ac in ceteris enunciatorū adjunctis, stando in comparatione eorundem ad invicem, Bina requiruntur axiomata, quorum prius ex quo aliquid inferatur sive colligitur appellatur *infernus s. antecedens*, posteri-

us v. quod ex priori sequitur illatum s. consequens (2) Fundari Consecutionem non nisi in quadam facunditate propositionum, per quam una sit aptade lese quasi gignere aliam sine medio, notant̄ dixi, sine medio: non enim procedit ex suppositione alicujus mediij (tertij) ex quo ratio extrema in conclusione separandi vel conjungendi sumitur cum alijs termini in antecedente quam consequente non habeantur unde liquet quam longè à ratione Syllogisti. ex consecutionis deviet, ut quæ ad sui consequentis probationem medium ab eo diversum assumere & solet & debet. Hujus proinde consecutionis quasdam regulas in enunciationibus observandas, annexere, haud p̄genda res operæ yisa est.

1. Consequentia ex Äquipollentia sic: ab Äquipollente unâ ad Äquipollentem alteram bona est consequentia ut: Necesse est scandala venire. E impossibile est scandala non venire Hæ enim modales æquivalent. item: Homo est animal E Homo non est non animal, quia duæ negationes æqui parantur affirmationi, idemq; de reliquis esto iudicium.

2. Ex Conversione ita à Convertenda ad conversam bona est sequela. Veritatis evidentia confirmatur (1) ē Conv. Simpl. ut: N. homo est lapis E. N. lapis est homo. Q. voluptas est bona, E Q. bonum est voluptas. (2) Ex Conv per accidens. Sic O. homo est animal E Q. animal est homo Item: N. Angelus est rationalis, E Q. rationale non est Angelus (3) conversione per contra positionem, ut: O homo est animal E Quod non est animal, non est homo. Ratio subest: Quia in conversione propositionum, non alia probatur conversio, quam quæ est illativa conversione ad convertendam ut supra meminimus.

3. Ex oppositione sic à veritate unius contra dictoria ad falsitatem alterius bona est consecutio, & vicissim. ut si verum est: omnem hominem esse animal, E. falsū est quendam hominem non esse animal & contra. Quia contra dictio[nis] Character ut è Sect. Ult. liquebit est veri à falso discretio.

4. Ab Enunciatione universi ad ejus subalternas & singulares quisvis de illo subjecto subsumptis V. C. affirmativa & negativa ut: O. homo sentit, E. Q. homo sentit. E. & Cato sentit. Item N. homo est Asinus E. Q. homo non est Asinus E. nec Paulus &c est Asinus.

5. Ab Exclusiva & Exceptiva ad earum exponentes V. C. sequitur igitur, solus homo est rationalis. E homo est rationalis, nec non. E Q. non est homo non est rationale. Et per Conversionem superioris: E. O. rationale est homo. Sic quoque infertur. o. animal præter bestiam est rationale. E. o. animal quod non est bestia est rationale E. N. Bestia est rationalis<sup>2</sup>.

6. Ex affirmato predicati finiti, ad negatum predicati infiniti & viceversa V. C. ut O. homo est justus E N. homo est non justus.

7. A Quatenus ad de' omni & per se valet consequent E. G. homo quā homo est risibilis. E O. homo risibilis E per se est risibilis. Nam τὸ καὶ ἀνθρώποι includit κατὰ παντάς. Observa hīc Firmiter sic colligi. 1. si non abstratio obstat 2. nisi τὸ Quatenus intelligatur Reduplicativē.

## S E C T I O V.

### De Oppositione.

P R A E C E P T A

1. Oppositiō axiomatum est oppositiō qua axioma[ta] vere inter se in sensu identice sumpto, ratione Affirmationis & negationis pugnant. ut: O. homines sunt vocati. Nulli homi-

homines sunt vocati. Item N. homo est Electus. Q.  
homo est Electus.

2. *Oppositiō axiomatica est duplex: Contraria vel con-  
tradictoria.*

3. *Contraria est duorum Universalium oppositio, verum à  
falso formaliter non dividens. ut: O animal est homo N. a-  
nimal est homo. O. homo est justus, N. homo est justus.*

4. *Contradic̄tio est oppositio, idem axioma affirmans &  
negans semperq; verum à falso formaliter dividens. ut: O.ho-  
mo est animal. Q. homo non est animal.*

### E X P L I C A T I O N E S.

#### A D P RÆC E P T: PR I M U M.

In hujus Defin: anatomia duo evolvenda (1) *Genus*  
*Definitionis.* (2) *Generalia omnis vera opposit: attributa*  
*Genus legitimū est Oppositio: Quia hæc ad oppositio-*  
*nem terminorum & enunciationum indifferens est, a-*  
*dēoq; duas oppositas species Logicas simul comprehen-*  
*sit. Attributa generalia formam legitimæ oppositio-*  
*nis non obscure exprimentia, ad duo hæcce revocare*  
*licebit. Quorum prius est, Materia identitas. ut nempè*  
*Propositionis oppositæ eodem Subjecto & prædicato,*  
*eadem copulâ, eodemq; extremorum situ & ordine con-*  
*stant, quoad eundem significandi modum, respectum,*  
*determinationem, adeoq; omnem circumstantiam, inti-*  
*mante hoc Defin. nostra, per voces: verè inter se in sensu*  
*identicè sumpto. Posterioris Forma diversitas h. e. axioma-*  
*tis affirmatio & negatio. in qua formale oppositionis*  
*propositionum requisitum præcisè consistere censetur,*  
*nihil prorsus subsumendo aut inferendo. Oppositio n.*  
*aliquid amplius non agit, quam ut neget istum sensum,*  
*quem alterum enunciatum, cui opponitur, affirmave-*  
*rat, aut affirmet, quem negaverat, qualecumq; enunci-*

atum & qualicunq; forma propositum fuerit. Hisce no-  
tis stantibus, axiomata opposita in æternum non conspi-  
rabunt sed perpetuò sibi adversabuntur. Contra una ex  
his cadente, integra oppositio in fumum abibit, ut lo-  
quitur Cl. Honoldus.

AD PRÆCEPTUM II,

Divisio hæc cum veritati, tum communī Logico-  
rum usui & literatæ Ex perientiæ conformis est. Tot e-  
nīm constituendæ erunt oppositionis Species, quos sunt  
legitimi oppositionis enunciatiæ modi sed His tantummodo  
duo sunt, non plures non pauciores. Non pauciores quia  
generali axiomati bifariam opponi potest aliud, scilicet  
vel generaliter vel specialiter, inde contrarietas hinc contra  
dictio nascitur, quarum utraq; veram habet oppositio-  
nis naturam ex eo quia continent duas propositiones verè  
sibi repugnantes. Nec plures: si namq; alii præterea da-  
rentur eæ vel maxime Subalterne aut Subcontrarie audi-  
rent, at neutra admitti potest. E. Non illæ: quia ( $\alpha$ ) omnis  
oppositio secundus affirmat: & negationem pugnat, at Sub  
alternae hoc non faciunt. E Major ex Definitione ejusdem  
generali radiat. Minor a. exemplis. Sic O. homo est doctus.  
Q. homo est doctus Subalternae, neutiquam vero oppo-  
sitæ sunt ( $\beta$ ) Quæ se maxime consequuntur, illa minime  
inter se pugnant, sed subalt: tales sunt: E Major patet. Mi-  
norē rursus exempla stabiliunt, ita ad illam: O. homo est  
justus. bona consequentia sequitur hæc: Q. homo est ju-  
stus Neq; Hæ quod patet i. Quia non affirmat: & negatur i-  
dem præcisæ de eodem, sed de diverso. Veluti: in his Q.  
homo est pius Q. homo non est pius, haud negatur illud  
Subjectum quod in affirmante, per quendam hominem in-  
tellectum fuit, e se pius. 2. Identitatem sensus non servat,  
eo ipso, quem non idem de eodem, sed idem de diverso  
affirmat: & negatur.

AD

*AD PRÆCEPTUM III.*

Vera licet & formalis sit hæc oppositio ob duorum axiomatum ratione affirmationis & negationis repugnantiam: in hoc tamen à contradictione deficit quod vi formæ verum à falso non discernat. per sèpè enim ambo enunciata contraria falsa existunt V.C O. homo crèdit. N. homo credit neq; possibile ist hoc erit, formaliter scilicet veri à falso discretionem fieri, obsequentes rationes. Quia sic (a) una vera esset universaliter alteraq; falsa universaliter, quod tamen ne quidem in contradictorijs e- venit. (b) Datur inter contrarias medium utpote particularis quæ solum vera est scilicet in contingentibus us- ti hæc: Q. homo credit. inter modo relatas, illæ autem enunciationes, quæ Verum à falso formaliter hoc est semper & necessario dividunt medio carent. Hic duas interim Vido adsertiones.

1. *Propositionum contrariarum in materia necessaria, altera vera altera falsa est. Ratio militat: quod n. necessariò est, impossibile est non esse. Et contrà: Quod necessariò non est impossibile est esse.* Cum impossibile sit idem simul esse & non esse. Propositione deniq; necessaria, est immutabi- liter vera, huic igitur opposita. sive contraria, sive con- tradictoria, erit falsa.

2. *Propos. Contrarie in materia contingentis simul falsæ esse queunt. Eò quod materia Contingens (α) Propos: tan- tum Particulares veras gignat, quibus universales contra- dicunt. (β). Quia in materia Conting: ambæ Subal- ternæ veræ sunt, si, itaq; vera est Particul: affirmat: falsa erit universalis negativa. Et siquidem vera est Particu- laris, falsa erit universalis, vi contradictionis.*

*AD PRÆCEPT: IV.*

Efficacissima, prima & summa opponendi ratio in  
bae

*Hac oppositionis specie elueſcit, ut recte eandem non nemo  
veritatis eruendæ universale instrumentum Logicum dixer-  
it, quum perpetua ejus Lex sit, in quavis materia sive  
Theologica sive Iuridica, sive Medica, sive Philosophica, præ-  
cise verum à falso formaliter ſecernere unumq; enunci-  
atum verum, alterum falso facere idq; ob ſequentium  
rationum momenta (1) Quia contradictione dicente philo-  
pho: est oppositio medio carens per ſe & quicquid in una af-  
firmatur universaliter, in altera negatur particulariter &  
vicissim. (2) Quoniam altera contradictionis pars dicit eſſe  
altera vero non eſſe. impossibile autem eſt idem ſimul eſſe  
& non eſſe. (3) Quia contradictionia oppositio eſt omnium pio-  
gnaciffima, habens propositiones non tantum ratione qua-  
litati, ſed etiam quantitatibus pugnantes. Observandum  
nihilominus alteram eſſe Veram, alteramq; falſam, in materia  
necessaria ſemper determinatè, itemq; in materia  
contingentia. Si propositiones de præterito vel prætent  
fuerint; inde terminatae vero ſi ſint de futuro adhibitā tam  
men cautione, ne contradictione fiat in numero plurali ſed  
singulari, ſiquidem contradictione ſit inter Ens & non Ens,  
non vero, inter Entia & non Entia. Duas & hic habento  
assertiones.*

1. *Ennunciationes singulares opposita. uti: Petrus eſt homo  
Petrus non eſt homo. recte ſub hac oppositionis Specie con-  
tingentur, quando quidem illarum oppositio ex necessita-  
te Verum a fallo diſcernit.*

2. *Axiomatum compositorum nulla alia oppositio formalis  
eſt quam contradictionia, ſola quippe conjunctio hic neganda  
venit non parte, aſt affirmatio & negatio conjunctionis,  
non alia niſi contradictionia eſſe potest, adde quod oppo-  
ſitio axiomatis compositi, fi ſensus ſpectetur, ſemper ſit  
inter singulare, & singulares quidem ad ipsam composi-  
tio-*

tionem terminetur, quæ est inter integrum hoc & illud  
Enunciatum.

Antequam manum de tabula removere, coronodis loco, genera-  
lem enunciativè contra dicendi formulam, in omni materia  
procedentem apponere visum fuit.

Omnibus igitur propositionibꝫ, qualescunq; sint sivesim-  
plices; sive compositæ; puræ sive modales, exponibiles si-  
ve absolvæ præponendo particulam Non sensu negativo,  
non infinitante sumptam, formaliter contradici potest, ita  
ut sensus contradictoris sit: non est verum, quod affirmat-  
um fuit, si scilicet prius est affirmatum. Vel est illud  
quod esse negatur si videlicet prius negatum sit. O B-  
SERVATIO. 1. Tò Non debet refundi ad copulam &  
negare totum axioma. 2. In nuda negatione subsisten-  
dum, & nihil affirmati vi contradictioni inde inferendum.  
Hunc esse legittimum contradicendi modum, omnis  
generis axiomatum exempla demonstrant ut:

(α) Purè simplicium axiomatum; omnis homo est ani-  
mal. Non O. homo est animal. Q. homo est doctus. Non Q.  
homo est doctus. Nullus homo est animal. Non N. homo  
est animal Q. homo non est doctus. Non Q. homo non  
est doctus. Christus est Messias: non Christus est Messias,

(β) Exponibilium ita Exclus. sola bona opera justifi-  
cant Non sola bona opera justificant Exempt: O. animal  
præter hominem est irrationale. Non o: animal præter  
hominem est irrationale. Limit: Homo quā homo est risi-  
bilis. Non homo quā homo est risibilis, comparativ: Arist:  
fuit doctior socrate. Non Arist: fuit doctior socrate.

(γ) Modalium Necesse est o. hominem esse animal.  
Non necesse est o. hominem esse animal. Impossibile  
est hominem esse lapidem. Non impossibile est homi-  
nem esse lapidem. Contingens est hominem esse doctum  
Non

Non contingens est hominem esse doctum. Possibile est hominem esse divitem Non possibile est hominem esse divitem.

(8) Compositorum. Christus mortuus est & resurrexit. Non Christus mortuus est & resurrexit. Si homo credit salvatur. Non si homo credits salvatur. Etsi Ulysses fuit facundus non tamen formosus, Non etsi Ulysses fuit facundus, non tamen fuit formosus. Aut dies est, aut nox est. Non aut dies est aut nox est.

At sic pro ratione instituti hunc ad fectionum quaternio nem hac vice dixisse sufficiat.

N U N C

μονῷ τῷ Θεῷ δόξα qui dabit δευτεράς φρεγίδας σοφωτέρας

---

Præstantissimo Iuveni

DN. ELAOM. SCHRODERO WERMELANDO.

Fratri Germano. S. P. D.

HENRIEUS M. SCHROD:

Tuus cathedram amplissimum illud fame theatrum condescendens, & Viro Excellentissimi tibi adstante egregie disputanti conatus valde se mihi omni ex parte probatur, de AFFECTIONIBUS AXIOMATUM enim differendo bonam erga logicam tibi affectionem esse non obscurè demonstras. Quod more dicam an vitio temporis carmen meretur illud verò nisi cui Apollo & novem Musæ faveant, fundere in impossibili est. Quocirca triviale istud tibi Frazerne accino: HIC RHODUS, HIC SALTA, & que tuarum sunt partium perage cateris dispositioni Altissimi relictis. Hoc si feceris (de quo tam nullus dubito) cum cornice in rupe Tarpeia considenteominari quest: es aris warra nadas, utq; sient ex animo fraterno voveo, in hoc felici omine & calido voto desinens, VALC.

